Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 319
Quelle:
Copyright:

longis luculente ſcriptus exhibet: I. *Commentaria in Apocalypſin* fine Titulo, nomineque Autoris, quae a Commentario in *Praefationem*, quam *Gilbertus Porretan.* ſ. *Pictaviensis* Apocalypſi praefixiſſe dicitur, quaeque legitur in *Bibliis gloſſat.* incipiunt, hoc modo: *Omnes qui pie uolunt uiuere* &c. *diuiditur iſte prologus in VIII. partes in prima breuem fidelium ammonicionem premittens oſtendit* &c. Capitis I. expoſitio ſic inchoat: *apokalipſis ieſu chriſti* &c. *liber iſte in duas partes diuiditur. in prima quedam communia toti operi et generalia premittit ut hic in primo capitulo. in ſecunda ſpiritualiter ad uiſiones et reuelaciones accedit* &c. Sub finem C. 13. multus eſt Autor in computando *numero Beſtiae* videlicet DCLXVI. invenitque hunc numerum in vocibus *Antemos, Arnoyme* (Αντιθεος. Αρνουμαι.) *Teytan* et *Diclux*, quae, ut ait, erunt *Antichriſti* nomina. Similia diximus ad *Codd.* duos ſequentes. Finit tota haec curſoria *Apocalypſeos* Expoſitio in *v.* 27. *c.* 4. L. III. *Esdrae: Iniquus rex, iniquae mulieres, iniqui filij hominum* &c. ut ut Autor illum *apocrifum* vocet.

II. *fol.* 56. manu Sec. XII. *In nomine domini incipit dyalogorum liber. I. beati Gregorii.* Initium absque omni Praefatione: *Quadam die nimiis quorundam Secularium tumultibus depreſſus quibus in ſuis negociis plerumque cogimur ſoluere etiam quod nos certum eſt non debere* &c. Ita et III. *Libri* reliqui integri ſequuntur, quin tamen adpareat diviſio in Capita. Finis ultimi: *non indigebimus poſt mortem. ſi ante mortem hoſtia deo ipſi fuerimus.* Extant notiſſimi hi *Dialogi* in edit. *Opp. Gregorii Mauriana Pariſ.* 1705. T. II. *col.* 149. Non defuturum Collatori ſpicilegium vel illud argumento fit, quod mox ab ingreſſu, ubi *Edita* legunt: *ut prius quidem perdat bonum quod tenet, ſi tamen ſe perdidiſſe meminerit*, longe rectius *Codex* noſter: *ſed tamen ſe perdidiſſe meminerit*, id quod Editores in nullo ſuorum *Codd.* invenere; e Graeca tamen *Zachariae* verſione colligere poterant, ubi: μνημονευειν δε ὁπερ απολεσεν &c. Latinius item paullo poſt in Noſtro: *quos ne per humanos actus a nouitate mentis ueteraſcerent, omnipotens deus huius mundi laboribus noluit occupari*, quam in Editis: *qui ne per humanos — eos omnipotens deus — noluit occupari.*

CXXII. VII. D 6

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 257. f. currente calamo per duas columnas ſcriptus exhibet: I. *Expoſitionem Apocalypſeos*, de qua Thecae anteriori inſcriptum legitur: *Nota expoſitores Autenticos Apocalypſis*, et enumeratis *Auguſtino, Hieronymo, Beda, Haymone, Helinando, Alberto M. Gilberto, Joachimo*, et *Relengario* (quem *Berengarium* puto. Confer *Fabric. Bibl. med. et inf. Lat.* L. II. ad h. *v.*) additur: *Ex dictis iſtorum* 244

ex-